

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV**

**Weidenfeld, Johann S.**

**Londini, 1684**

11. Spiritus Melli Lullii

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

id est, ita temperetur, ut aridis etiam homogeneous fiat, adeoque ea solvat, quod opus difficile & tædiosum esse, propria probat Experientia, ex pluribus ergo Adeptorum acuentibus mel eligit præ cæteris, cujus acuendi facultatem principalem, vocat mysterium magnum & artis Thesaurum. Siquidem juxta Lullium Spiritus Vini Phil. in Melle duas habet liberæ operationes: id est, Unctuosus hic Spiritus facile unitur unctuositati mellis, eademque etiam operâ facile temperatur Mellis ariditate. Verbo; dantur alia quidem; imo sequentia omnia, hoc ipso fortiora Menstrua, sed nullum præparatu facilius & Discipulo incipienti melius. Lullius idem Menstruum hoc modo confecit.

## II. Spiritus Mellis Lullii. c. 19. Lib. Mercur.

R. **D**E Aqua Vitæ, & pones intus hanc humiditatem Vegetabilem, tertiam partem favi Mellis, cum omni sua substantia, scilicet cum Cera & cum Melle, & illam pones ad fermentandum in levi calore per tres horas, & quanto magis instat, tanto magis valet; postea pone ad distillandum in Balneo. Et istam destillationem & fermentationem reitera, renovando favum in qualibet secunda destillatione, per novem vices.

Parisnus ex Lullio magistro suo, non tantum Vini Phil. Spiritum, sed & ipsam hujus menstrui didicisse præparationem mihi videtur, licet hanc aliquantulum correxerit. Parisnus Mellis inspissati libram unam cum tribus vel quatuor libris Spiritus Vini Phil. digerit per diem in Balneo, postea ter destillando invicem commiscet. Opus ter repetit, ita ut quatuor hisce vicibus libras quatuor Mellis una cum totidem libris Spiritus conjunxerit, amboque circulat suo tempore. Lullius favum Mellis digerit per tres horas cum tribus partibus Spiritus, & ambo per duas conjungit destillationes, opus reiterat quatuor vicibus, ita ut per octo destillationes, quatuor partes Mellis cum tribus Spiritus univerit, conjunctum jam menstruum destillat adhuc semel, ut per 9. vices vel cohobationes conficiat suum Mellis Spiritum. Parisnus tria elegit ingredientia pro sua Medicina: Creator Cœlestis Altissimus

mus creavit tres mineras. Inter mineralia est una, scilicet Solis & Lunæ, inter Vegetabilia est Vitis, inter animalia est Apis. pag. 222. *Elucid.* Lullius de his tribus ita, *Cap. 46. Libri Mercurior.* Inter omnia Mineralia, Vegetabilia & Animalia fixum aurum electum est pro Medicinis conficiendis. Et super omnes virtutes inter Vegetabilia & Animalia sunt virtutes succi vel Juscula Lunariæ, & Musca besana, quæ mel componit.

*Parisius in Alphabeto apertoriali eandem quidem habet Spiritus Vini acuitionem, at cum ibidem Menstruo superaddat Sal mellis ex capite mortuo calcinato extractum, hæc acuitio non ad hoc, sed ad aliud refertur genus.*

*Verum-enim-verò licet Mel speciali hoc privilegio gaudeat quasi ex eo tantum hujus tertii generis menstrua confici possint; sciendum tamen est Salia Oleosa omnia, (uti sunt saccharum Cristallisatum, manna Christallisata. Tartarus Crudus Vini vulgi, &c.) ab uno latere suam cum Oleosis, ab altero verò cum aridis probare affinitatem; adeoque Oleositate istà suà in Oleosum Vini Phil. Spiritum introducere propriam ariditatem; ariditate verò suà illius Spiritus temperare oleositatem. Quamobrem de Melle quæ dicta fuerunt, eadem de Saccharo & Manna intelligenda veniunt. De Tartaro Crudo prædictis aridiorè exemplum unum & alterum addemus.*

## 12. Spiritus Tartari Crudi Guidonis, pag. 51. *Thesaur.*

Re. **T**artari Crudi libras duas, Spiritus Vini libras tres, destilla & cohoba decies desuper proprium caput mortuum.

*Paracelsus hunc Tartari Spiritum hoc modo præparavit:*